

## TRACTATUS XII.

### DE BAPTISMO.

132. Hic unice agemus de baptismo qui sacramentum est a Christo Dño ad spiritualem hominis regenerationem institutum. Nec quidquam aliud designari solet baptismi nomine, quando simpliciter adhibetur. Notiones tantum subjiciemus baptismi flaminis et baptismi sanguinis, quorum naturam et proprietates exponere solent Dogmatici, ubi de sacramento baptismi disserunt.

Baptismus *flaminis* situs est in actu caritatis seu contritionis perfectae, quocum semper conexas est infusio gratia sanctificantis.

Baptismus *sanguinis* idem est ac martyrrium, seu percussio mortis vel cruciatus letalis pro fide vel virtute christiana (2. 2. q. 124. a. 5).

Uterque dicitur baptismus *in voto*: martyrrium, quia, e speciali Dei privilegio, baptismi sacramentalis vicem gerere potest; caritas perfecta, eo quod semper adnexum habet desiderium, saltem implicitum, recipiendi illud sacramentum saluti prorsus necessarium.

Si *effectus* spectamus, baptismus flaminis et baptismus sanguinis in eo conveniunt cum baptismo sacramento quod peccatum originale et gravia peccata personalia, infusa gratia sanctificante, delent. Ab eodem discrepant quatenus solum sacramentum baptismi imprimit characterem, quo homo fit incapax iterum suscipiendi baptismum, capax vero reliquorum sacramentorum. Tandem, quoad remissionem omnis culpae venialis et poenae temporalis, sacramento quandoque pares, quandoque impares sunt: lotus ille reatus plene remittetur per martyrrium sicut per sacramentum, dummodo saltem attritio de peccato commisso habeatur; per baptismum flaminis non remittetur plene, nisi cum actus caritatis satis intensus erit ad hanc plenam remissionem assequendam.

## CAPUT I.

### DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

#### § I. DE MATERIA REMOTA BAPTISMI.

133. I. Materia **valida** baptismi est omnis et sola aqua naturalis in statu liquido.

*Aqua naturalis*, i. e. quae vulgo appellationem aquae simpliciter obtinet. Constat e verbis Christi (Joann. III. 5): "Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.", quae de aquae vera et naturali intellegenda esse definivit Trid. (Sess. 7. de Bapt. can. 2) In casu autem dubii, ut judicetur utrum aqua naturalis permaneat an in aliam substantiam, puta jusculum, transierit, minus attendendum est ad chemicorum placita, quam ad communem sensum hominum, quos Christus profecto voluit aptos esse ad hujusmodi discretionem faciendam. (Ball. P. n. 8)

*In statu liquido*. Nam in statu solido vel vaporeo inepta foret ad abluendum. Hinc:

1º *Valida materia* est: a) Aqua putei, maris, paludis, pluviae, fluminum, fontium, etiamsi sulphurea vel mineralis est, etc.

b) Aqua resoluta ex nive, grandine, glacie, ac proinde ubi aqua in statu solido habetur, facile obtinetur materia valida, liquefactis per contactum corporis saltem quibusdam guttis.

c) Aqua collecta e vaporibus densatis, ex. gr. quae, tempestate nimbosa, a foliis vel pariete defluit.

d) Aqua turbida mixta cum alia re, modo aqua sit materia praedominans S. Alph. (n. 103), etiamsi quoad colorem, saporem et odorem alterata sit. Sic valida materia est aqua decoctionis carniarum, si parva solutae carnis commixtio facta est, ita ut, secundum communem sensum, maneat species aquae. (S. Th. 3. q. 66. a. 4. ad 2; Ball. P. n. 8)

2º *Invalida materia* sunt saliva (Deer. 1. 3. t. 42. c. 3), lotium, lacrymae, sudor, cerevisia, cafaeum, decoctio carniarum quae e spissitudine videtur habere plus de aliena substantia quam de aqua (S. Th. 1. c.), lutum, atramentum, etc. Talia enim, e communi aestimatione, substantialiter ab aqua differunt. Valeret tamen baptismus collatus cum aqua subtili quae e luto, lixivio et similibus exprimeretur.

3º *Dubia materia* est jusculum, cafaeum, cerevisia et similia de quibus, propter tenuem admixtionem materiae alienae, dubitatur nun

adhuc aqua censerī possint. Idem dicendum de aqua fluente e vite aliisve arboribus, succo plantarum, etc. (S. Alph. n. 104) Hujusmodi materia uti extra casum necessitatis grave est (n. 116); verum, urgente mortis periculo, licet, immo et oportet baptismum condicionate conferre cum materia dubia, etiamsi valor tenuiter tantum probabilis sit, ob summam hujus sacramenti necessitatem (S. Alph. n. 193) Si postea haberi potest materia certa, baptismus sub condicione iterandus est. (n. 117 seqq.)

**134. II.** Ut materia insuper licita sit, requiritur ut naturalis aqua sit:

1° Pura seu absque alienae materiae mixtura. Graviter enim peccaret contra reverentiam sacramento debitam qui, extra casum necessitatis, aquam aliena materia mixtam adhiberet, etiamsi (juxta supra exposita) valorem sacramenti in dubium non vocaret, ex. gr. baptizando aqua sordida, lutulenta, etc.

2° Specialiter ad hunc finem benedicta et s. oleo catechumenorum et chrismate mixta. Haec benedictio regulariter fit in vigiliis Paschalis et Pentecostes. Si parochus fontem benedicturus nondum habere potuit olea hoc ipso anno consecrata, benedicat fontem sine sacrorum oleorum infusione, quae privatim opportuno tempore fiet: quodsi antea aliquem baptizare debeat, in ipsa benedictione solemnī vetera olea infundat. S. C. R. 31 Jan. 1896; Act. S. S. t. 28. p. 504) In vigilia vero Pentecostes fontem cum oleis novis benedicet. Quodsi aqua in his diebus benedicta non sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minore tamen quantitate: si vero corrupta fuerit vel quavis alia ratione defecerit, iterum benedicenda erit formula in Rit. Rom. (tit. II. c. 7) posita.

Hanc obligationem gravem esse, satis constare censemus, tum e momento quod Ecclesia consecrationi aquae baptismalis tribuit, tum e pluribus S. Sedis documentis, quibus missionarii jubentur aquam consecrare vel consecratam secum deferre, quotienscumque id absque gravi incommodo facere possunt. (Coll. P. F. n. 515) Neque haec quaestio plane otiosa est, ut contendit Ball. P. (n. 10), quia vix fingi possit qui habens in promptu fontem baptismalem, velit alia aqua uti. Nam quaestio practica est de eo qui negligat aquam consecratam conficere vel secum ferre, ubi facile potest. Nulla autem datur obligatio adhibendi aquam lustralem si baptismalis deficiat, quamquam plures AA. id decere arbitrantur et idem innuit quandoque S. C. de P. F. (Coll. P. F. l. c.) Etenim S. Inqu. nullam aquae lustralis mentionem facit, dum hunc casum ita solvit 22 Jun. 1883: "Quando non habetur aqua baptismalis, adhibenda est (quando fieri potest) aqua benedicta juxta formulam in novis editionibus et in appendice Rit. Rom.; secus adhibenda est aqua naturalis." (Coll. P. F. n. 517) Pariter, juxta sententiam saltem proba-

bilem (S. Alph. H. A tr. 14. n. 8), non est obligatio abhibendi aquam consecratam in baptismo stricte privato, qui scil. in casu necessitatis confertur.

Si aqua baptismalis, quamvis liquiditatem suam omnino servaret, magnum foetorem exhalaret, maneret materia valida, sed illicita extra casum necessitatis: in quo etiam praeferenda esset aqua naturalis. (S. Inqu. 17 Apr. 1839; Coll. S. M. n. 186)

## § 2. DE MATERIA PROXIMA BAPTISMI.

**135. I.** Materia proxima baptismi est **ablutio baptizandi a baptizante facta**. Constat manifeste e forma, quae secus non verificaretur, et ex universa traditione. Igitur ad valorem baptismi requiritur:

1° Ut fiat *vera ablutio*. Ad hanc opus est tum contactu physico, tum contactu successivo, qui tamen dupliciter haberi potest, vid. admota aqua ad corpus, ut fit in infusione, vel admoto corpore ad aquam, ut fit in immersione. Minime requiritur ut sordes corporales reapse abstergantur. (Ball. P. n. 12) Nulla certa quantitas aquae requiritur, ac proinde opinamur valere baptismum, etiamsi una vel atera gutta tantum adhibeatur, vel si baptizans motu digiti madefacti baptizandum abluerit, dummodo aqua vere fluxerit. Nihilominus, quia plures AA. id negant et plerumque non constabit aquam vere fluxisse, generatim talis baptismus habendus erit ut dubius, ideoque sub condicione iterandus, sicut S. Inqu. 14 Dec. 1898 respondit de fidelibus quibusdam qui baptizati fuerant non per abluionem, sed per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto.

2° Ut abluatur *baptizandus*. Constat non esse necessarium ut totum corpus abluatur et sufficere ut abluatur caput. Baptismus vero collatus in alio membro, etiam principali, ut scapulis vel pectore (quamquam communius et probabilius validus dicitur), practice tamquam dubius habendus esset, saltem ob DD. dissensum vel dubitationem. Cfr. S. Alph. l. c. q. 4. Ideo jubet Rit. Rom. (tit. II. c. 1. n. 16) ut infans qui aliud membrum quam caput ex utero materno emisit et super illud baptizatus fuerit, iterum, si natus vixerit, sub condicione baptizetur. Valde verisimiliter opinantur quidam AA. (ut Lemkh. II. n. 62) hujusmodi iterationem non esse sub gravi imponendam quando infans vel adultus in parte principali corporis baptizatus fuerit, quia communissima sententia, teste S. Alph. (l. c.), hujusmodi baptismum validum censet. Tandem, si in crinibus caput tegentibus baptismus collatus est, theoretice quidem validus videtur, cum crines aequae ac cutis ad hominis corpus pertineant: ob contrariam tamen quorundam sententiam, sub condicione iterandus est. (Lugo, Resp. Mor. l. 1. dub. 1)

3<sup>o</sup> Ut ablutio fiat *a baptizante*. Si enim fieret a baptizato ipso vel a tertio vel *unice* a causa naturali (puta pluvia), falsa forent verba: *Ego te baptizo*. Haec tamen satis verificari videntur si baptizans infantem vel adultum supponat aquae decedenti e caelo, tecto, fonte, etc. immo probabilius aquae a tertio affusae (Ball. P. n. 20), quamvis id ultimum ab aliis negetur. (Lehmk. l. c.) Alios casus, utpote otiosos, omittimus.

136. II. Baptismus valide conferri potest, sive per *immersionem*, sive per *infusionem*, sive per *aspersionem*, neque ad valorem pertinet utrum unica an triplex ablutio fiat: nam hae variationes essentialiam materiam proximam (n. 135) intactam relinquunt. Attamen hodie jubet Rit. Rom. (l. c. n. 10) ut "primus vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore quo verba proferuntur." Immo hodie in Ecclesia latina solus baptismus per infusionem in usu est.

Communis sententia tenet cum S. Th. (3. q. 66. a. 8) graviter peccare eum qui Ecclesiae ritum violat circa modum ablutionis vel trinam aquae effusionem. Haec tamen non videntur extendenda ad baptismum stricte privatum, dummodo certo valeat modus adhibitus.

### § 3. DE FORMA BAPTISMI.

137. I. Forma usualis baptismi in Ecclesia latina est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. In Ecclesia graeca adhibetur ista, sane substantialiter aequivalens: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris* etc.

Quando autem trina fit affusio, rectius forma ita profertur ut ante tertiam non finiatur: quia forma, cum quacumque prima ablutione, baptismum constituit. (Bus. ap. S. Alph. n. 105)

II. Ut iudicetur quaenam omissiones vel mutationes hanc formam invalidam reddant, imprimis applicandae sunt regulae generales de huiusmodi alterationibus datae. Cfr. n. 110, ubi plura specialim de forma baptismi exposita sunt. Insuper videndum num exprimantur ea quinque ad valorem formae necessaria (Bus. ap. S. Alph. n. 108):

1<sup>o</sup> *Persona baptizantis*, quae saltem implicite exprimenda est, ut fit in forma Graecorum per vocem *Baptizatur* sumptam cum adjunctis in quibus pronuntiatur. Ideo omissio pronominis *ego* foret essentialis in lingua gallica, flandrica, germanica, anglica, etc.; accidentalis in lingua latina, italica, etc.

2<sup>o</sup> *Actus baptizandi*. Sufficeret tamen si pro verbo *baptizo* aliud aequivalens poneretur, ut *lavo*, *abluo*; minime vero si pro actione praesenti exprimeretur voluntas baptizandi, dicendo ex. gr.: *Ego volo tibi ministrare sacramentum baptismi peccatorum in nomine* etc. (S. Off. 23 Jun. 1840; Coll. P. F. n. 525). Ubi lingua vernacula adhibetur, generatim tutius est servare vocem a latino verbo baptizandi derivatam, ut gallice *baptiser*, anglice *to baptize*, nisi in eadem lingua habeatur vox significandae ablutioni sacramentali reservata, ut flandrice *doopen*, germanice *taufen*. Sic quoque valere censemur baptismum anglice collatum cum verbo *to christen*, quippe quod ex usu prorsus idem ac verbum *to baptize* significat, sicut de voce *karstim* in lingua dalmatica et similibus opinatur Lugo (Resp. Mor. l. 1. dub. 3). Attamen cum in lingua anglica soleat adhiberi potius vox *to baptize*, aliquod dubium oriri posset, cui depellendo baptismum sub condicione iterare *liceret*. (Lehmk. II. n. 63)

3<sup>o</sup> *Persona baptizandi*. Ideo invalida esset forma, simpliciter omisso pronomine *te*, ut respondit S. C. de Prop. F. 5 Jul. 1841. (Coll. P. F. n. 526) Valeret tamen, si eidem substitueretur aliquid aequivalens, puta nomen infantis, vel pro principe *Dominationem Vestram*.

4<sup>o</sup> *Unitas divinae naturae*: quod fit per voces *in nomine*. Unde invalidus foret baptismus collatus *in nominibus Patris* etc. Quodsi ter repetatur *in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti*, valere baptismum respondit S. Inqu. 11 Jan. 1882. (Coll. P. F. n. 530) Dubia, saltem practice, foret forma, in qua plane omissum fuisset adverbium *in*. Validam vero censemur cum Lehmk. (II. n. 64) formam *in nomen* seu, ut quidam protestantes in Hollandia dicere solent, *op den naam* quia plane congruit cum verbis in S. Scriptura traditis (*εις τὸ ὄνομα*).

5<sup>o</sup> *Trinitas Personarum* idque explicite et distincte. Hinc invalide iisdem substituerentur voces *in nomine SS. Trinitatis* vel *in nomine Jesu Christi*, Quodsi vulgaribus vocabulis alia minus usitata substituerentur, ex. gr. *in nomine Genitoris, Geniti et Spirati*, valor saltem dubius foret. Idem, ob defectum clarae distinctionis divinarum Personarum, dicendum ubi omitteretur his conjunctio *et*, vel ubi apponeretur tantum ante alterum nomen, dicendo ex. gr. *In nomine Patris et Filii, Spiritus Sancti*. At certo valeret baptismus collatus: *in nomine Patris Filii et Spiritus Sancti*; quia distinctio Patris a Filio satis per ipsa vocabula exprimitur, neque ab usu recepto alienum est, cum tria distincta numerantur, conjunctionem tantum ante tertium efferre. Ideo S. C. C. (12 Sept. 1801) vetuit ne baptismus sub hac forma collatus etiam sub condicione iteraretur.

**138. III.** Ubi mutatio formae inducenda nullatenus dubium efficeret sacramenti valorem, leviter tamen peccaretur ab eo qui aliquid sciens volens mutaret addendo, omittendo, transponendo, etc. Immo etiam graviter peccaret sacerdos latinus forma graecorum utens, cum praeceptum in Rit. Rom. (l. c. n. 9) positum transgrediretur et mutatio esset notabilis. Attende in Rit. Rom. non apponi formae baptismi vocem *Amen*, ideoque eam omittendam esse, ut declaravit S. C. R. 9 Jun. 1853. (Coll. S. R. n. 3014)

## CAPUT II.

### DE MINISTRO BAPTISMI.

**139. I.** Valide ministrat baptismum homo quilibet, etiam haereticus vel infidelis, modo ponat omnia ad valorem sacramenti requisita. Ita definiuit Innoc. III in Conc. Later. IV. (Denz. n. 357)

**II. Licite**, extra casum necessitatis, regulariter solus sacerdos baptizat. Diacono tamen licet etiam sollemniter baptizare, quando adest aliqua latioris sensus necessitas et a paroco vel episcopo hoc munus ei commissum fuit, ex. gr. si parochus graviter infirmus vel confessionibus excipiendis occupatus est.

Controvertitur num idem diacono liceat, dum similis adest necessitas, sed deficit commissio a sacerdote facta. Negativam sententiam probabilior censet S. Alph. (n. 116), quia tantum sacerdotis vice sollemniter baptizare potest: quae ratio sane non satis stringens est, ut propterea negetur probabilitas sententiae affirmantis, quam tenet Suarez. (disp. 23. sect. 3)

**III.** Ut sacerdos in casu determinato licite hanc potestatem exerat necesse est ut haec facultas ei competat *vi muneris* vel *legitimae delegationis*. Vi autem muneris, id potest episcopus in sua tantum dioecesi, relate ad eos qui ibidem domicilium aut quasi-domicilium habent eorumque infantes; similiter dicendum de paroco relate ad territorium parochiae suae. Hanc autem facultatem, utpote ordinariam, cuilibet sacerdoti delegare valent. (Rit. Rom. tit. II. c. 1. n. 12) Hinc:

1° Graviter peccat sacerdos qui alienum baptizat sine licentia proprii sacerdotis expressa vel rationabiliter praesumpta. (S. Alph. n. 115) Id valet etiam de paroco in propria paroecia baptizante alienos.

2° Pariter, ob violatum proprii pastoris jus, peccant parentes qui, sine ejus licentia, prolem ad alium sacerdotem deferunt baptizandam.

3° Peregrini vel vagi possunt baptizari in ecclesia quam elegerint. Qui vero praeter domicilium etiam quasi-domicilium habent, possunt probabilius baptismum suscipere vel pro infantibus suis petere ab alterutro paroco domicili vel quasi-domicilii. (S. Alph. l. c.)

4° Si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi paroco est baptizanda. Verumtamen, si pagus ille parum distet a pago proprio, ex. gr. tribus leucis, potest proles etiam ad ecclesiam suam deferri. (ib.)

5° Ex Rit. Rom. (Tit. II. c. 3. §. 3): "Adulorum baptismus, ubi commode fieri potest, ad episcopum deferatur ut, si illi placuerit, ab eo sollemniter conferatur. Atque in quibusdam dioecesibus (Stat. Mechl. n. 227) statuitur ut nullus adultus extra casum necessitatis baptizetur, ne sub condicione quidem, absque Ordinarii facultate. Haec prohibitio etiam a Regularibus servanda est (Schmalzgr. in Decr. l. 3. t. 29. n. 14)

Ubi paroeciae nondum canonice erectae sunt, ad statuta illius qui ibidem spiritualem auctoritatem exercet, vid. episcopi, vicarii apostolici, etc. et ad receptas consuetudines respiciendum est, ut constet cuinam sacerdoti jus baptizandi in universo territorio vel in ejus parte competat. (Lehm. II. n. 67).

**140. IV.** In casu necessitatis, seu quotiens infans vel adultus in imminente vitae periculo versatur, quilibet homo potest, immo ex caritate tenetur baptismum ministrare, si solus adest vel solus sacramentum valide conferre potest.

Attamen, ubi plures adsunt, servanda est regula quam, cum duplici restrictione, proponit Rit. Roman. (c. 2. n. 13): "Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam, potius quam virum, baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. Pater autem et mater prolis baptizandae reliquis omnibus (ergo etiam feminis) postponendi sunt (Rit. Rom. l. c. n. 14). Ordinem hunc invertere probabiliter gravi culpa vacat, nisi laicus baptizaret praesente sacerdote: quia isti soli competit facultas baptizandi tamquam propria, ex Ecclesiae ordinatione. (S. Alph. n. 117) Non esset tamen culpandus sacerdos qui, in casu necessitatis, vices suas cederet laico, ob rationem decentiae vel securitatis, puta ad baptizandum foetum in utero matris, vel quia baptismus sub specie lotionis medicinalis clam ministrandus esset.

Necessitati ex imminente mortis periculo ortae similis est ea quae praesertim in locis Missionum, oriri potest e defectu cujuslibet sacerdotis vel e difficultate eum adeundi. Pluries probavit S. C. de P. F. (Coll. P. F. n. 536 seqq.) consuetudinem in locis Missionum vigentem, ut catechistae aliive probati laici cito (ex. gr. intra 8 dies) baptizent quos-

libet christianorum infantes, etiam bene valentes. Quare idem licitum censemus in regionibus nostris, quando pater, nefaria impietate, obstat ne liberi uxoris christianae ad ecclesiam deferantur baptizandi. Poterit ipsa mater (si neminem alium tute et commode adhibere valet) infantem suum baptizare. Oportebit tamen de collato baptismo certiore facere parochum ne forte, defuncta matre, puer iterum baptizetur. Ubi vero differtur tantum baptismus a parentibus ob rationem minime sufficientem, puta quia patrinus a longinqua regione venire debet, non licet obstetrici infantem baptizare nisi quando positive timetur ne puer dilationis tempore sit moriturus, ut respondit S. Inqu. 11. Jan. 1899.

## CAPUT III

## DE SUBJECTO BAPTISMI.

## § I. DE BAPTIZANDIS FOETIBUS IMMATURIS.

**141. I.** Foetus qui praemature, quolibet gestationis tempore, in lucem editur, etiam minimus, habendus est tamquam baptismi suscipiendi capax, nisi aperte de ejus morte constet: quare, cum in periculo mortis versetur, sub gravi quamprimum baptizandus erit.

Ratio patet in sententia hodie communiter recepta: foetum humanum a primo conceptionis momento anima rationali informari (Vol. I. n. 374) ac proinde (sicut quamlibet creaturam humanam) esse baptismi capacem. Obligatio autem conferendi quamprimum sacramenti e summa ejusdem necessitate liquet. Neque ab hac practica conclusione recedere posset qui animam foetui paulo tardius infundi opinaretur, ut in simili argumento (Vol. I. l. c.) de foetus occisione diximus. Manifeste enim nefas esset absque baptismo projicere foetum *probabiliter* anima rationali informatum. Omnibus ergo matribus, obstetricibus, medicis, etc., occasione data, enixe commendandum est ne ullum foetum viventem, quantulumcumque sit, absque baptismo perire sinant. Etenim satis commune est praejudicium existimantium nullam in foetibus abortivis minimis animam reperiri.

Praecipue quando foetus parum evolutus est, difficillimum est agnoscere num jam vitam amiserit. Solum signum indubium reponitur in corruptione, quae maculis et foetore manifesta fiat. Quare (nisi peritus et timoratus medicus mortem ut certam agnoverit) expediet regulariter

baptismum sub condicione conferre etiam iis foetibus qui jam aliqua mortis indicia prae se ferant. (Surbled, La vie sexuelle, p. 292 seqq.) (1)

**142. II.** Baptizandi sunt quilibet foetus a muliere editi, etiamsi maxime contra ordinarias leges evoluti sint, ideoque ob deformitatem suam *monstra* dici mereantur. Quidquid enim vivum editur a muliere, homo erit; neque ab ullo viro perilo hodie admittitur (quod nonnulli veteres autumabant) mulierem e congressu cum bruto feram eniti posse. Sed, ut vita censeatur adesse, omnino requiritur ut aliqua capitis et pectoris species habeatur. Minime autem ut homo habendi sunt foetus *acardiaci*, seu constantes tantum ex ventre et pedibus, neque *molae* i. e. ova fecundata in quibus foetus plerumque praemature mortuus et absorptus aut resolutus est, quorum membranae postea in varias molarum formas degenerarunt. (Capellmann, Med. Past. p. 110) In dubio utrum verus foetus an mola vel aliquid simile occurrat, baptismus sub condicione conferendus est. (2)

**143. III.** Foetus valide in *utero matris* baptizari potest ideoque, si timetur ut vivus in lucem edi possit, omnino baptizandus erit. Ratio est: quia, cum jam sit homo viator, nihil impedit quominus baptismum recipiat. (S. Alph. n. 107)

Attamen quidam AA. valorem hujus baptismi impugnarunt, quia nemo renasci potest (Joann. III, 5) nisi prius natus fuerit. Ideo baptismus in utero sub condicione conferendus, et, si infans vivus in lucem editus

(1) De modo securiore baptizandi foetum qui membrana sua involutus editus est, non una est sententia. Quidam (Surbled, op. cit. p. 291) censent prius super membranam condicionate conferendum baptismum, deinde aperta membrana, iterandum esse sub condicione: *Si tu es capax et nondum baptizatus*. Sed cum membrana illa exterior velamentorum, iudicio peritorum (n. 143), minime pertineat ad foetum, nullum dubium est quin invalidus sit baptismus super illam collatus. Ideo praeplicet modus a D. Capellmann (Med. Past. p. 112, nota) propositus, vid. ut baptismus per immersionem conferatur. Apprehendatur ergo utriusque manus pollice et indice aliqua velamenti plicatura; ovum sub aqua demergatur atque ita dirumpatur ut materia ovi effluat: simul autem pronuntietur forma condicionata: *Si vivis* etc. Recte addit Lehm. (II. n. 74) securius esse ut foetus etiam ex aqua extrahatur.

(2) Speciale dubium oriri potest de modo quo monstra baptizanda sint, quando principalia membra duplicata gerunt. Si duo capita simulque duo pectora gerit foetus, censendus erit duos homines distinctos continere: ideo singula capita absolute baptizanda erunt unum post alterum, nisi necessitas urgeat in qua utrumque simul sub forma plurali abluendum erit. Quodsi dubitatur num duae personae distinctae in monstro contineantur eo quod non appareant duo capita et duo pectora distincta, tunc unus absolute baptizetur, alter sub condicione: *Si non es baptizatus*. (Rit. Rom. t. II. c. 1. n. 20 seqq.)